

Bibliothèque numérique

medic@

**Lelaumier, Etienne-Pierre - candidat /
Dubertrand, Roch - président. - [De
vulneribus in genere]**

1753.

***Paris : Typis Delaguetta Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°28



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



MECHANICES opus exquisitissimum, juxta strictiores staticæ, hydraulicæ & hydrostaticæ leges motus ad infinitum varios exequens contemplari desideras? corpus humanum præsto est. Fibrillis, vasculis & liquoribus licet constans, ob variam tamen illorum positionem, fabricam, actionem reciprocam, attendenti cum non modicâ voluptate præbet vestes, trochleas, præla, folles, receptacula & ferè cujuslibet speciei instrumenta intus extus-ve agentia; &, miratu quod dignissimum! illata machinæ, si quæ sint detrimenta, organicâ ipsius virtute quàm-plurimum resarciuntur, ut præ cæteris demonstrat de quo mox, generali corporis humani partium expositione præmissâ, sumus acturi, vulnerarium pathema.



CORPORIS humani partes in continentes, contentas, & impellentes sapientissimè ab Hippocrate : in solida & fluida ; solida rursus in dura & mollia non immeritò à physiologicis dividuntur. Satiùs tamen ad propositum nostrum solida in partes similes & dissimiles censemus distinguenda. Fibræ, membranæ, ossa, cartilagine, ligamenta, muscoli, tendines, aponevroses, vasa, glandulæ, nervi & tegumenta communia inter similes ; partes verò ex illis compositæ dissimiles inter annumerantur.

FIBRA, pars sola strictè dicta simplex, est corpus oblongum ; admodum gracile, duabus pluribus-ve elementariis seu terrestribus conflatum particulis, ad cujuslibet partis solidæ compositionem situ, numero & elasticitate varium.

Ex latâ, planâ, tenuissimâ, plûs minûs-ve extensili, flexili fibrarum serie oritur *Membrana* quæ ossa, carnes & viscera partim involvit, partim efformat.

OSSA, præsertim in exoriente fœtu spectata, simul congestarum speciem referunt membranarum quæ à circulatorio motu liquorem vehente nutritium per vasa membranæ exterioris, cæteras cingentis (undè *Periosleum* audit), in interiora penetrantis, exquisito sensu donatæ præditæ (a), duritiem & crassitiem sensim ac sine sensu ita compararunt, ut in adultis triplici substantiâ conflata, & totius corporis, cæteras fulcituræ necnon protecturæ, firmissimæ partes evadant.

FIRMÆ sunt insuper substantiæ quædam læves & quadam-tenus elasticæ, ubiquè, nisi in diarthrosi, membranâ periosstei æmulâ, à situ *Perichondrio* dictâ indutæ, nullâ cavitate notabili, sed porulis, vasculorum vix conspiciendorum transitûs causâ, (b) donatæ, eisdem ac ossificationis legibus crescentes, in adultis ita durefcentes ut ossa dicas, & *Cartilagine* vocantur : ossium sicut & partium mollium amplificationi, articulationi, symphyti & fuituræ inserviunt.

EA est ossium & cartilaginum structura ut validam connexionem simul & liberos motus sibi ipsis conciliare non possent ; hinc partim *Ligamenta* seu substantiæ leucophææ, *peridesmo* gaudentes.

(a) Conf. experiment. D. Duverney act. Ac. R. Sc. an. 1700.

(b) Winsl. Exp. An. Tr. des Os frais n°. 18.

tenaces, fibrosæ, extensionem & rupturam non faciliè patientes, quæ cæteras connectunt, continent, & tuentur.

PARTES tam mirificè stabilitas, adjuncto munere fungentes movent *Musculi*, fibris coalescentes mollibus, contractilibus, etiam si ob ingentem quâ involvuntur intermiscunturque vasculorum sanguiferorum copiam ad aspectum rubris, albidis tamen, nervulorum infinitâ propagine intertextis, mediantibusque folliculis oleosis & proprio membranaceo muscoli involucri pullulantibus inter se distinctis, modò pro ventre, modò pro corpore habitis, & in firmiores albescentesque desinentibus fibras quæ, si substantiam utcumquè teretem, acutam efficiant, *Tendinem*; si latam, planam & exilem, *Aponevrosum* constituunt. In utroque eundem numerum fibrarum ac in ventre, nervos pariter & vasa adesse, suppurationes, dilacerationes & Rhuyfchianæ injectiones probè demonstrant.

QUODLIBET corporis punctum vel minimum permeant *Vasa* seu canales conici, elastici, à lateribus communicantes, virtute contractili, plus minùs - ve, pollentes, quorum parietes textu celluloso, vasculoso, muscolari, & nerveo muniti liquida vehunt. In *Arterias* ferentes, salientes, densioris texturæ, & *Venas* referentes, valvulis instructas, laxioris, necnon ambæ rursùs in sanguineas & lymphaticas distribuuntur.

EX alter-utris vasa liquoribus quibusdam peculiaribus ingressum aut egressum præbentia procedunt, & *Secretoria* aut *Excretoria* sunt, quæ, conglobatim vel conglomeratim congesta & tunicâ communi involuta, *Glandulas* efformant. Tùm ad glandulam, tùm ad glandulæ vasculum vel minimum sedulò comes & pedissequum appellit cum arteriâ filamentum nerveum à majoribus nervis oriundum.

NERVI sunt funiculi subalbidi, plerumquè teretes, fibrillis ultra mentis limites gracilibus, fasciatim dispositis conflati, vasa sanguinea & lymphatica sibi propria habentes, piæ & duræ matris processu induti, ad corporis quodlibet punctum, motuum & sensuum causâ, à cerebro, cerebello & medullâ spinali vergentes, & in pulpam non assignandæ tenuitatis abeuntes.

UNAQUÆQUE modò descripta pars propriis equidem, sed prætereà communibus defenditur *Tegumentis*: cellulæ nimirum membraceæ, vasis sanguiferis, lymphaticis, nerveis donatæ, oleoso aut

lymphatico liquore turgentes cuti substernuntur, & pénitiores corporis recessus ubique (a) penetrant, lubricant.

CUTIS, alterum integumentum commune, fibris tendineis, nervis, vasis sanguineis, lymphaticis intertexta, elastica, in internâ superficie miliares, & sebaceas Morgagni continens glandulas *Corium* habetur, ex quo protuberant nervulorum, ad organum tactûs, apices mucosâ facillè spissescendâ substantiâ vasculosoque textu in debito tensionis gradu servati. Illis pellucida, cuti strictis, sed fragilibus filamentis adhærens, squammulis à corpore mucoso densato productis composita (b), porulis ad sudoris, perspirationis, medicamentorum aditum exitum-ve, cutis ad instar, pertusa, vasculis, saltem arte detectis, expers membrana, *Epidermis* cognita; custos & tutrix superexpanditur.

SINGULAS microcosmi vias attentè perlustra, & hætenus enumeratas partes quidquid in ipso solidi, nunquam satis laudandâ dispositione, efformare haud ægrè percipies.

FLUIDA, corporis humani partes alteræ, (de quibus dicere nobis non vacat) cum solidis mutuum mirandumque agunt commercium. Qualitate enim & quantitate requisitis donata, solida dummodò integra, elastica, libera nec obstructa alluunt, nutriunt, augent, movent, vicissimque moventur; fin, contrâ.

EX CHIRURGIA.

VULNUS naturæ sanatricis & auxiliatricis Chirurgiæ necessarij concursûs argumentum vincens. Hinc in vulneribus curandis naturam adjuvare & non perturbare Chirurgi fit unica mens; hinc naturæ adversantia, horum-ce effectus & ipsius naturæ conamina diligenter annotet.

SIMILARIBUS & instrumentariis partibus vulnus *pathema* commune (c) pro solutione quâlibet continui apud veteres; strictius nunc pro recenti, cruentâ, in mollioribus duntaxat aut in duris simul corporis partibus (d) solutâ cohæsione fumitur.

(a) Boerrh. Inst. M. 55. 416. præf. aphrodisiac. (b) M. Gareng. Splanch. p. 44. (c) Galen. Art. M. Cap. LXXXVIII. (d) Heist. Inst. Ch. p. 1. l. 1. p. 42.

5

QUODCUMQUE corpus extraneum dividere potens, tanquam communem causam agnoscunt vulnera; nihilominus tum ex parte ipsiusmet causæ, tum ex parte ipsorum magnitudinis, figuræ, directionis, sedis, simplicitatis, compositionis & complicationis non inadvertendum discrimen repetunt.

ANTECEDENTIA vulneris in memoriam revocare, ipsum met vulnus inspicere, excreta olfacere, gustare, cum Galeno actionem læsam, situm vulneris, speciem doloris, excreta & retenta, accidentia propria perpendere, ut media ad vulneris *Diagnosim*, utilia, quandoque sufficientia adhibeantur: ope specilli, injectionum vulnus perlustrare, ferè semper ut infida, noxia encheiresis rejiciatur.

EXPLORATAM vulneris diagnosim ad curationem conducere; certam verò *prognosim* & ad curationem vulnere & ad fiduciam vulnerati Chirurgi conciliandas maximè conferre cuius comperitum est: festinans ergo nimium nil proferat Chirurgus, sed prius causas, essentiam, situm vulneris, partes affectas sedulo perquirat, & accidentia præsertim ponderet ex æquo.

ACCIDENTIA aut statim & primitivè, talia dolor, hæmorrhagia, convulsio, paralyxis, syncope, aut post aliquod à vulnere tempore intervallum sæviunt; hujusmodi sunt pruritus, inflammatio, febris, alvi fluxus, materiæ purulentæ suppressæ, resorbta, apostemata, gangrena.

MALO cognito, accidentibus prævisis, quid agendum velit natura ex phænomenis ediscendum In vulnere simplici & minori partes à se invicem recedunt, integras distrahunt, sanguis plus minus-ve effluit, paulò post sistitur, in coagulum, crustam vertitur; in majori verò & substantiâ deperditâ aut contusione complicatâ, hæc præter, latex limpidus, ichorofusus subsequitur, partes vulneris vicinæ tument, rubent, dolent; febris vulneraria supervenit; tertio vel quarto die humor subalbidus, glutinosus, pus exoritur; detumescunt, pallescunt vulneris labia; dolor, febris remittunt; ex imo vulnere succrescere videtur nova caro, quæ paulatim summum vulnus adæquans arefcit & siccam efficit cuticulam, deinceps in ratione substantiæ deperditæ depri-mendam, *Cicatricem* vocant. Porro hæc symptomata, quorum Aitiologia ex Anatomicis positionibus faciliè deducitur, nec adeò, nec

tandiu conspiciuntur, si vulneris oræ post modicum sanguinis effusum ad se invicem approximentur & ab aëre externo protegantur; ergo ut sanguis modicè fluens non subito cohibeatur, sed post temperatam effusionem vulnus coadunetur & ab aëre externo protegatur natura postulat.

AD coadunationem vulneri conciliandam. 1°. Huic obstantia removeantur, itaque corpora extranea exerefis ope, morbi per Therapeuticam ipsis propriam & accidentia methodo debitâ profligantur. 2°. Remotis aut minutis quantum fieri potest impedimentis, si vulnus ob contusionem aut amissam substantiam ita se habeat ut oræ ad se invicem approximari nequeant, naturæ gradatim operanti & suppurationem præcipienti obsequendum; interea nihilominus faveant approximationi situs & deligatio. Si verò contiguæ fieri possunt, ut retineantur non solum modò situm idoneum & deligationem aptam, sed & futuras suppeditat ars provida.

SUTURA est operatio Chirurgica quæ mediantibus aut emplastris agglutinatoriis, aut acubus, filo, & fibulis, vulneris oras approximatas continet; illa notha, quæ *agglutinatoria* seu sicca, hæc vera, quæ *humida* seu cruenta dicitur. Suturas omnes ab antiquis decantatas non recensemus: quamplurimæ etenim ut inutiles, crudeles, noxiæ à recentioribus, uno ore & unâ mente, meritò rejiciuntur; & quædam, *nodosa* scilicet, *pellionum*, *circumvoluta*, quas simplices nuncupant, *clavata*, quam compositam, solæ superstites remanent: *nodosa*, cuti, musculis, vasis; *pellionum*, intestinalis; *circumvolutam*, labro leporino, & *clavatam*, musculis abdominalibus plagisque altioribus ut sacram anchoram injicere mos est.

QUIDQUID tamen ex futuris sperandum veniat, illas offibus & cartilaginibus prout impossibiles; valdè contusis, venenatis, penetrantibus in thoracem, assiduis & necessariis motibus agitatibus vulneribus, prout noxiis, & cæteris cujuscumque speciei quoties situs & deligatio coadunationi conciliandæ non sunt impares, prout inutiles à sanâ methodo non injici, in memoriam revocet Chirurgus: his enim positis, rarum futuris locum dari facillè percipiet. Et quidem vulnus, vel juxta longitudinem corporis, cuti & musculis infligitur, & tunc fascia *Uniens* summum remedium; vel, juxta latitudinem, musculis extensoribus aut flexoribus, adductoribus aut abductoribus &c. & extensio aut flexio, adductio aut abductio &c.

partis læsæ, deligationis ope firmatæ, perfectam cohæſionem pelli-
cere queunt; vel etiam obliquè, & tunc ſitûs & deligationis auxilio fu-
tura ſicca quâ Adræas à cruce & Paræus felicicum ſucceſſu utebantur
prodeſſe poterit (a).

NEC eſt quod dicas muſculos fortiores per ſitum & deligationem
non ſatis approximari aut approximatos non, ut par eſt, contineri
poſſe; muſculus enim ſi non irritetur, quandò ſtat immotus, laxus
eſt, flexioni, extenſioni &c. juxtà motum ſibi nativum obedit; imò
in longum facilè extenditur, annotante illuſtriſſimo D. DU LA
PEXRONIE (b): Hunc ergo vis etiam mediocris, ac proindè ſple-
nia eminùs ritèque diſpoſita, cum faſciis à ſagaci Chirurgo circum-
ductis, in ſtatum competentem coërcere valebunt. Si verò jam irri-
tetur, nonne malum acriùs exaſperabunt ſuturæ?

TANDEM muſculi omnes & oſſa partis interſcindì poſſunt, &
tunc ſitûs & deligationis efficacitatem experiri non minùs juvat (c).

TENDINUM, aponevroſium & partium nervearum unionem
per ſuturas humidas, ex quo præſertim quàm ægrè ferant partes
illæ puncturam vel minimam, & quàm tutò & commodè abſque
filo & acubus coadunari poſſint demonſtratum eſt (d), tentare neſas.
Ob eaſdem & ſupradictas (p. 6. l. 29. & ſeq.) rationes muſculo-
rum abdominalium vulnera acu & filo continere minùs illicitum
immeritò crederes. Non ſic tamen de labio leporino à nativitate &
cum magno reſeſſu cenſendum putamus, hoc-ce enim in caſu partes
à ſe invicem jampridè diſceſſæ non, ut par eſt, deligationi ob-
temperant; nec etiam de vulneribus inteſtinorum, ob fæces jugi-
ter effluxuras, & alio modo non ſiſtendas.

VASA præciſa agarico querno, vel ſagino ſæpè ſæpiùs, non-
nunquam tamen, in diſſolutâ nimirum ſanguinis craſi, & ubi com-
preſſioni denegatur locus, acûs & fili beneficio reſtringenda eſſe
experientia docet.

(a) Paré, Liv. 10. des Pl. en part. ch. 32. (b) Tr. de la Gang. par M.
Queſnay, p. 154. (c) Dion. Opér. comm. p. 738. Obſ. de M. de LAFEV-
RONIE (d) Tr. Gang. par M. Queſnay, p. 105 & ſuiv. Malad. des Os par M.
Petit, tom. 2. chap. XV. Dion. Opér. comm. p. 726.

VULNERIS coadunatione sive per situm & deligationem, sive per futuras servatâ, nec à Mechâ, nec à Peruvio, Judæâ &c. balsama magno sumptu expetere necessum; vulnus tantummodò, generali non omittâ *Prophylaxi*, ab aëre externo protege, aquam tepidam aquæ vulnerariæ permixtam, aut balsamum Samaritani solutæ cohæsioni imponendo, necnon rarissimè deligando; & eosdem, nec minùs salubres quàm balsamorum extraneorum, effectus videbis affluentes. (a).

(a) Bellost, Chir. d'Hôp. p. 74 & 290. tom. 1.

Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. ROCHO DUBERTRAND, in Universitate Parisiensi Artium & Chirurgiæ Magistro, necnon antiquo Scholarum moderatore, tueri conabitur STEPHANUS-PETRUS LELAUMIER, Parisinus, eâdem in Universitate Artium Liberalium Magister.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Lunæ 30^a. Julii à sesqui-secundâ post meridiem ad
Septimam. anno Salutis 1753.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1753.